

cipiuntur. Vulgus quidem ejus originem ad tempora *Gregorii*
M. peste, præcipiti seculo VI., Romæ sæviente, refert. Cùm e-
 nim ad cæteros casus, quibus homines fœdè passim absumentur,
 hoc etiam mali accessisset, ut multi, dum sternutarent, repente spi-
 ritum emitterent, consuetudinem hanc, quâ sternutantibus salu-
 tem precamur, primùm inductam fuisse, non pauci putant. In-
 ter hos etiam, quod mireris, est *Sigonius L. I. de Regno Italiae ad An.*
591. p. 20. Sed hunc ritum longè antiquiorem esse, ex profanis
 autoribus constat. Præter *Aristotelem* enim in *Problematibus*,
 hætenus à nobis sæpiùs allegatis, meminere hujus *Xenophon L.*
3. de Expeditione Cyri, *Petronius L. 2. c. 4.* *Plinius. L. 28. 2.* *Apulejus*
in Asino. 9. aliique. Nec antiquissimus tantùm, sed & communissi-
 mus hic ritus est. Refert *Septalius Commentar. in Probl. Aristot.*
sect. XXXIII. 9. p. 416. ex Nicol. Codigno in vitâ Sylverii l. 2.
c. 11. Monomotapæi Imperatoris sternutamentum totius civi-
 tatis faustis acclamationibus excipi, traditò aliis semper ab aliis
 quasi acclamandi signò. Adeò hominibus arridet mos huma-
 nissimus! Sed cùm ad accidentia sternutationis, saltem externa,
 referendus sit, de quibus, DEO juvante, peculiarem meditor Dis-
 putationem, uberiores ejus tractationem eò remitto. Videantur
 interim, præter allegatos ex veteribus, Juniores *Philippus Bero-*
aldus in Apulej. p. 813. *Septalius d. l. Alex. ab Alex. l. 2. c. 26.* & in
 eum *Tiraqvell. p. 184.* *Janus Douza in Petron. p. 278.* *Schoock. de ster-*
nutat. p. 122. seqq. aliique.

Θεῶν δόξα.

ADDITAMENTUM.

Dantur in utraqve Philosophiâ propositiones certæ ac
 infallibiles. Diversum qui sentiunt, inepti sunt ac impii. An-
 no superioris seculi septimo & quinquagesimo ex comitatu Car-
 dinalis Tridentini duo ad Melanchthonem Itali accesserunt; quo-
 rum alter librum ipsi exhibuit à se scriptum, in quo falsè & in-
 sulfè contendebat Philosophiam totam, Physicam & Ethicam, in-
 certam esse. De his verè ac graviter Melanchthon in Epist. ad
 Com. Georg. ab Erbach: *Talis, inquit, est vanitas hujus tem-*
poris, damnare artes, quæ sunt dona DEI & testimonia
de DEO.

